

DISSERTATIO INAUGVR ALIS MEDICA
DE
MASTVRBATIONE PESTE
IUVENTVTIS LONGE PERNICIOSISSIMA

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO DVCE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO AVGVSTO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE
ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.

CONSENSV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAESIDE
D. CHRISTIANO GOTHFRIDO GRVNERO

SERENISS. DVC. SAX. VINARIENS. ET ISENACENS. A CONSIL. AVL. BOT.
ET THEORIAE PROF. PVBL. ORD. ET FACVLT. MED. ASSESS. ACAD. CAES.
NAT. CVRIOS. ET ELECT. MOGVNT. SCIENT. VTI. SOCIET. SCIENT. YLIS-
SINGANAE ET BAVAR. BVRGHVS. MORAL. ET OECON. LIB. MOSQVENS.
EXCOLEND. LITT. ROSSIC. ET LAT. IENENS. SODALI REG. SOCIET.
MED. PARISIN. CORRESPONDENTE

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS RITE CONSEQVENDIS

D. xxv. Nov. c1810ccclxxxiii.
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR
IOANNES CAROLVS LVDOVICVS SCHOENEMANN
GREOVILLO-PALATIVS

IENAE
LITTERIS MAVKIANIS.

lib. V

411.

Med. **V 411**
20c

NO 187 2751

CELSISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO

COMITI ET DOMINO

DOMINO

CAROLO MAGNO

S. R. I.

WILD - ET RHEINGRAVIO DHVNI ET KYRBURGI DYNA-
STAE VINGSTINGAE PVTTLINGII TVEMME-
RINGAE REL. REL.

DOMINO SUO INDVLGENTISSIMO.

CELSISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO

COMITI ET DOMINO

GVILIELMO CHRISTIANO

S. R. I.

WILD. ET RHEINGRAVIO DHVNI ET KYRBVRGI HEREDI

DYNASTIARVM VINSTINGAE PVTTLINGII TVEMERIN-

GAE REL. REL.

DOMINO SVO INDVLGENTISSIMO.

MASCE PRIMITIAS ACADEMICAS

D. D. D.

obseruantissimus

IOANNES CAROLVS LVDOVICVS

SCHOENEMANN.

PROOEMIUM.

Mira et incredibilis hominum nostratum est sollertia in inueniendis et fruendis voluptatum generibus. Inuenti sunt mille modi, quibus auiditas excitaretur, neque defunt desiderantibus multiplices stimulorum formae. Equis enim ignorat GILBERTVM DE PREVAL, infani amoris curatorem et antidoti certi laudatorem, immo vero exploratorem coram iudicibus peritis? Cui non dictus est GRAMVS*) quidam, Anglus, qui nuper eo processit audaciae et impudentiae, ut intemplo sanitatis scilicet lectum caelestem magnetico electricum quauis nocte quinquaginta librarum pretio vulgaret, et balsamum diuinum, sterilitati et impotentiae auferendae aptum, magna numerum vi redimendam iuberet? Non deerunt veneris vulgiuagae magistri, cum plurimi iuuenum ac senum impensus appetant et quaerant insolita illecebrarum irritamenta. Peccant viri, delinquent feminae atque puellae. Aequarunt hae illorum licentiam, ideoque non potuerunt non corporum virilium vitia et morbos aequare. Hinc pallor et neruorum tremor, foeda macies, incerti labantium pedes, vertigo et oculorum tormenta, suffusio luridae bilis et decolor vultus, palpitatio, conuulsio crebra, et tabes caeca. Quaeris, vnde tot atque tam innumerabilia morborum occulta peste repentium genera oriantur? Deliciis foeditissimis se soluerunt, et libidine ne maribus quidem cedunt. Viros imitantur, et virorum more ineunt. Ut enim illi habent puerorum vnguentatorum greges, qui

A 3

post

*) Vid. Litteratur u. Voelkerkunde I. B. St. 3. p. 270. seq. et recuf. in Ill. BALDING, Med. Journ. St. 1. p. 45. seq.

post exhausta pocula et laute transacta conuiuia cubiculi
 contumelias expectant, ita hae, exuta femina, veneris
 scintillulas turpiter eliciunt, molliterque admota manu et
 sibi, et aliis profunt. Tales ergo, amici, non putate am-
 plius virgines. Tribades sunt. Nomen habent, integri-
 tatem et formam virginiam dudum perdiderunt. Ipsae
 se deuirginarunt, et, quando virgines esse desierint, non
 amplius recordari possunt. Quin vt dulcior esset volu-
 ptatis sensus, stato die domibus vel hortis conueniunt,
 oblectant proprio gaudio, leges sibi scribunt, quibus quae-
 que contubernalis sese adstringat, neque aliquam viro
 destinaram ex ista nobili **QVARTILLAE** sodalitate dimit-
 tunt, nisi profiteatur futuras nuptias, et per aliquod tem-
 pus ab impudica et illicita fricatione feriata mutatam partium
 formam quodammodo restituat. Adeone mutari virgi-
 num naturam, pudorem et decorem posse, vt mallet
 vetita et impura gaudia sequi, quam castae et purae esse?
 Miseret me quotidie videre tot virginitatis casurae detri-
 menta, audire tot scholarum publicarum flagitia, legere tot
 bonorum virorum studia irrita, quibus tantam tamque
 perniciosam iuuentutis pestem auertere vel extinguere
 gestiunt. Iam salus publica agitur, cum pueri puellaeque,
 immo vero ipsae sacrae virgines, matronae nuptae, viduae
 atque vetulae perditissimo modo corpus polluant, et tur-
 pissimo igne pereant. Etenim vt umbra corpus, ita innu-
 mera morborum cohors isthoc scelus sequitur. Cum
 sanitate aut prorsum perditur concipiendi vis, aut certe
 peiores auis nascimur. Quid inde? Mors natum puellum
 aut cita pede eripit, aut miserae vitae tradit, quae scelestae
 matris debetur vneri. Visum ergo est, cum scribendus
 libellus esset, hoc *masturbationis* vitium explicandum mihi
 quam breuissime sumere, quia medici est, saluti ci-
 uium prospicere. Quod officium quam bene sim executus,
 viderint aequi bonique iudices.

T H E S E S.

I.

In morbis venereis inueteratis frictiones mercuriales ceteris remediis internis sunt praefrendae.

II.

Gonorrhoea vt plurimum est venerea.

III.

Fomentationes frigidae in hernia incarcerata magis nocent, quam profunt.

IV.

Pulsus parvus et celer, si quando herniae incarceratae superuenit, periculum indicat.

V.

Nullum datur absolutum venenum.

VI.

Plurima signa, quae de morte foetus traduntur, fallacia sunt; hinc perforatio caute, si vnquam, adhibenda est.

VII.

VII.

Camphora in variolis, si rite atque prudenter exhibetur, semper bonos producit effectus.

VIII.

In pestilentia videtur dari resolutio sanguinis vergens ad putredinem.

IX.

Semen Coffeae, igne fortiori adustum, spirat empyreuma, ideoque agit fortiter in neruos, hinc irritabilibus et sensibus feminis eius potus parce concedendus est.





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE

MASTVRBATIONE PESTE IYVENTVTIS LONGE PERNI-
CIOUSSIMA.


§. I.



Masturbatio s. Onania TISSOTI *) et vetus morbus est, et hac nostra aetate communis iuuenum puellarumque pestis **). Nemo fere puber ac impuber ab hoc scelere, quo corpus propria illicitaque manu contaminatur, immunis est, idque vagatur hodie adeo, vt cl. CAM-
RERVS

*) Von der Onanie Eisen. 1770. et vers. lat. in *Tissot*. Opusc. Med. T. I. ed. Bald. Lips. et Cell. 1769. p. 139. seq. C. Fr. *Boerners*. Pract. Werk von der Onanie Leipz. 1776.

***) Cf. Ueberzeug. und bewegl. Warnung vor allen Sünden d. Unreinigk. u. heimlich, Unzucht — v. *Ge. Sarganeck* Züllich. 1746.



PERVS non dubitarit, publice proposito praemio trecentorum imperialium, bonos viros ac medicos ad explicandam tantae laus naturam praesidiiorumque vim excitare. Magnum profecto de posteris bene merendi studium, cui vix aliud par inuenias, superius nullum! Nisi enim quouis modo occurratur iuniorum furori, quo naturalibus vim inferunt, actum erit de posteritate.

§. 2.

Prima origo fere repetenda est a blanda quavis frictione genitalium, qualem matres nutricesque ioci amorisque ergo pusioni afferre solent; deinde in pueritia insolitus pruritus, siue ab vrinae acrimonia proficiscatur, siue a calore stragulorum, fouet et nutrit fauillam, post in adolescentia superaeedit ignotus amoris stimulus, exemplorum vis et sodalium adhortatio, nuptiarum tardatio vel spes abrogata; tandem stimulat nuptas veteris consuetudinis durities, viduas negatae veneris desiderium, vetulas obsoleti gaudii memoria. Sic viuit quaeque propriis extincta criminibus, et miserum corpus trahit.

§. 3.

Fauet huic amori flagitioso, quicquid stimulos subdere ac concitare potest. Huc ergo referas

1. *Victum lautum, iurulentum, aromaticum.* Corpus plus recipit, quam subigere posse videatur, aromata vero calore suo irritant et vrunt partes solidas, concitant humores, atque in feminis vbertim ad naturalia deferunt, ingenerantque quandam acrimoniam inextricabilem, fontem plurimorum morborum vitiorumque perennem. Prae ceteris inimici sanitati sunt cibi pingues, oleosi et butyro frixi, pisces, imprimis saliti, carnes muria conditae vel fumo induratae, farcimina, petasones, quae quia singulari scatent acritudine, non possunt non vniuersam humorum massam inficere, et pruritu partes molestare.

2. *Acida quaecunque,* siue sub potus forma hauriantur, siue cibis condimenti loco adiiciantur. Turbant digestionem, inflant, gignunt neruorum distentiones et pruritum taediosum.

3. *Potus calidus*, v. c. Theae vel coffeae. Laxat fibras, mollit partes, nervos et sanguinem afficit, disponit ad morbos nervorum solidorumque varios, et prae ceteris inducit fluorem album, certe auget aditum humoris acris ac stimulantis.

4. *Haustus vini et scerae*. Friget venus sine Cerere ac Baccho, et mirum non est, multas hodie virgines in proprium scelus ruere, cum adeo delectentur inebriante potu, ut cum viris certamen inire possint. Femina ebriosa nec inuia amori est.

5. *Quies corporis nimia*. Ut aqua stagnando corrumpitur, ita sedendo ac quiescendo perit corporis humorumque integritas. Intuta est sanitas, quae sedili debetur, tutior vero, quae intra motum et quietem continetur.

6. *Somnus protractus*. Hoc nulla via pronior ad obesitatem est, nulla aptior phantasiae ludibriis. Quies in culcitra molliuscula, nox et calor stragulorum, cubitus supinus, saepius lectulus socialis et peccandi occasio, inuitant ad illicita gaudia, quae olim meminisse non iuuabit. Lubricam et incertam putes virginisatem, si qua puella horas matutinas inter plumas perdit. Lusus amoris non deerit.

7. *Educatio mollior*. Mire sibi placent matres, si possint puellam tenerius habere, sed natura inuita. Haec iubet firmare corpus, et ferendis vitae iniuriis aptare, illa facit impar molestiis et excipiendis, et tolerandis. Femina molliter educata patet cum variis morborum generibus, tum amoris telis.

8. *Lectio fabularum romanensium*. Legunt feminae, ita iubente ac postulante more seculi, sed sine delectu. Ut otium et tempus terant, quia turpe putatur rei domesticae et culinae prospicere, habent bibliothecas, in quibus videas illiberalis vel turpis amoris magistros. Versant diurna nocturnaue manu, quidni amare demum discant, et sibi molestum ignem extinguant?

9. *Solitudinis amor*. Grata res solitudo est, si ea bene frui licet, Liberi sumus a malorum hominum societate, ignoramus turpia vrbis



facinora, viuimus deo, nobis, patriae, si intra parietes nostros subsistimus, ac in prudentum contubernio fenescimus. At vero nabili virgini adeo infensa putanda est, nihil vt magis. Alit enim morbum animi et corporis, quo nullus est capitalior, occasionem peccandi praebet, ignem igni subdit, et cogit vel inuitam scelestae manusi sese committere. Hinc solitudinis confectio nota facinoris huius haud fallax est, quippelufibus faueatior. Hinc claustra, seminaria, paedagogia, scholae annua mercede aperiendae, conuenticula sub pietatis et amicitiae specie celebrata, castitati et vitae purae male conueniunt. Noli hic loci quaerere, quisquis sis, viator vel amator, virginem integram. Perditum est, cui primas dedit maiorum auctoritas.

10. *Sodalitas praua.* Cum magna vis exemplorum sit, multum refert, inter quos viuas. Flexibile puellarum ingenium qui noscit, metuere et debet, et potest pudicitiae. Solent fere matres bene sedulae et magistri morum arcere inuenum confortia, sed haec, si sobria et pia mens est, minus insalubria et periculosa putanda sunt, quam vita inter amplexus amicarum malarum transacta. Male iis creditur, quae manum fututricem habent, et artes sceleratas exercent. Inter earum bassa esse, idem est, ac prostituere pudicitiam. Videant ergo, quibus filiarum salus curae cordique est, qualis sit amicarum animus, viuendi studiorumque ratio, in primis oris oculorumque habitus.

§. 4.

Sunt vero veneris huius clandestinae signa coniecturalia.

1. *Mira faciei et vultus mutatio.* Tali virgini deest vigor ac splendor, oculi concaui, tristes, debiles, iusto sensiliores vel hebetiores sunt, os flaccet, cutis marcet et foede pallet, genae elongantur, et rugis arantur, pustulae et papulae liuidae efflorescunt, vultus decolor est, et iurares, nisi eam penitius nosses, anum decrepitam te coram videre, non virginem.

2. *Animus mutatus.* Hic torpet et hebet, phantasia et memoria perit, nimia sensilitas incommodat, atque hysteriam parit.

3. De-

3. *Debilitas insolita et marcor corporis.* Conqueruntur saepenumero lassitudinem, et marcent. Nisi alius morbus subest, occulto igne consumuntur.


4. *Digestio mala vel nulla.* Stomachus aeger est, si qua veneri tectae litat, neque ideo mirandum amplius, si vel fastidit cibos, vel post epulas memorat lassitudinem, capitis dolorem, oculorum hebetudinem, anxietatem praecordiorum, et varia spasmodum genera. Incredibilis consensus nimiam vel illicitam venerem et appetitum intercedit.

5. *Menstruorum fluor inordinatus.* Vt sanae feminae rite fluunt menses, ita aegrae sisti omnino vel inordinate profluere solent. Hoc vero fere proprium puellarum est, quae semper pruriunt. Sanguis aut acer et impurus est, aut nimius, dubia vero virgo, ceteroquin sana, existimanda videtur, quae sanguine suo madida in lectulo iacet. Quae si fluore albo laborat, ne dubita amplius de digitorum nequissimorum exercitio.

6. *Rubor subitus,* quocum coniungitur partium fricatio. Proditor sceleris commissi est.

7. *Matrimonii liciti fuga.* Quae ubi crebro et perpetim incidunt, licet eas veriti amoris incusare.

Si verum CELSI effatum est, raram iuare venerem, crebram debilitare, sequitur, ut ista stimulorum applicatio et peior, et periculosior ipso coitu esse debeat. Hic enim naturae convenienter sit, ille repugnanter. Hic certis legibus adstringitur, ille vero ubique et stimulat, et exfatiat. Hic sine amabili femina nullus est, ille repetito sedatur, quoties irritamenta, tanquam igniculi, subiiciuntur. Hic iuvat utrumque, ille laedit et infirmit miserae puellae corpus. Hic morbos tollit vel minuit, ille inducit et multos, et refractarios.



§. 6.

Innumera morborum vitiorumque turba est, quae perituram hanc voluptatem cita pede insequitur. Labet potiora nominare.

1. Hebetudo visus et vertigo.
2. Amaurosis.
3. Lipothymia crebra.
4. Tabes, imprimis dorsalis.
5. Spasmodum varia genera, cum maxime tremor et palpitatio cordis, tussis sicca, epilepsia, qualem nuper Cl. METZGERVS memora-
uit, catalepsis, tetanus.
6. Dolores varii, prae ceteris hypochondriacalia, dolor narium, cephal-
algia, rheumatismus.
7. Arthritis et podagra.
8. Hypochondriasis et hysteria.
9. Melancholia, mania, nymphomania, furor uterinus.
10. Oblivio, fatuitas.
11. Haemorrhagiae.
12. Diarrhoea foeda.
13. Lienteria.
14. Marcor genitalium.
15. Pollutio.
16. Fluor albus.
17. Dysuria, Stranguria, Incontinentia urinae.
18. Foeda oris et naturalium vlcuscula, et pruritus molestus.
19. Icterus rebellis.
20. Chlorosis.
21. Clitoris elongata, sensilior, herpete insignita.
22. Prolapsus vaginae.
23. Rachitis, teste Cl. TISSOTO.
24. Dispositio scorbutica, hinc ophthalmia, gingivarum rosio cel.
25. Sterilitas.
26. Apoplexia ab inanitione.

Sed manum de tabula. Datur vix aliquod morbi genus, quod non secuta istud scelus sit, et horret mens talia repetenti vel scribenti.

Non

Non desunt cupidae puellae irritamenta veneris vetitae, quibus non licet impune fatisceri. Labes nervis illata inextricabilis est, et sensus quisque vel leuissimus denuo excitat turpem mentis aegritudinem. Malum certe immedicabile est, cui illud poetae accommodes:

Video meliora proboque,

Deteriora sequor.


§. 7.

Cum tot atque tam variae sint masturbationis sequelae, facile colligitur, eam sanitati magis esse noxiam, quam ipsum coitum, etiam si crebrius repetitum. Etenim ei semper et ubiuis indulgetur, animus phantasiae ludibriis patet, neque inde reduci amplius potest. Malus et insidiosus morbus est, qui nobiscum habitat, domi forisque est, nobiscum rusticatur, vigilantes stimulat, dormientibus blando vultu obrepit, miseros vel inuitos ad se trahit, vires corporis ingenique hebetat, minuit, consumit, et tandem lenta tabe perire iubet. Maius est periculum, si quis impuber isto scelere sese polluere audeat, si corpus tenerum, irritabile ac sensibile est, si voluptati nulla datur requies, nec interdiu ac noctu manus otiosa manet, si gulae non temperatur, ceteraque aegritudinis huius irritamenta quam diligentissime anquiruntur. Immedicabile malum est, si pallor in ore foedus, et macies in corpore sedet, si debilitas summa molesta est, et oculi concaui incidunt, si tabes dorsalis et quaecunque phthisis vrget. Mors in propinquo est, si pulsus vacillat et veluti lassus quiescit, spiratio frigida est, sensus externi et interni hebescent, stomachus subuertitur, vrina et aluus, inscio homine, effluunt, sudor frigidus et viscidus erumpit, lipothymia et conuulsiones adsunt. Tunc desperanda salus omnino est.

§. 8.

Curatio mali inde repetenda est, vt vitentur quaeuis irritamenta superius memorata, victus adhibeatur leuis mediaeque materiae, remedia stomachica, roborantia et analeptica tantum non semper in usum

vocen-



vocentur, rarius corrigentia, balneo frigido corpus refocilletur, in summa, nullum artis praesidium negligatur, vnde vires amissae restitui, stimulus neruorum minui, partes solidae redintegrari, humoresque boni fieri possint. Quorum usu si ori color viuidus, corpori viuacitas redit, ceteraque symptomata cessant, de acquirenda validudine dubitare amplius non licet. Quisquis vero scire aueat praesidia paedagogica, inueniet veritati accommodata explicata in Ill. Praesidis Calendario Medico a. 1785.

§. 9.

Haec sufficiant, cum per temporis angustias et rei familiaris curam supellectilem mihi non liceat ulterius exspatiari. Interea integras puellas iterum iterumque rogatas volo, vt nolint tam foedo crimine corpus polluere, deuirginatas vero propria manu admonitas, vt desuescant aliquando et sibi, et posteris nocere. Praeclara enim res est mens sana in corpore sano.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Skin	Light Gray
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Skin	Dark Gray

TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

A	1	2	3	4	5	6	M	8	9	10	11	12	13	14	15	B	17	18	19
	R	G	B				W	G			K			C	Y		M		